

Conspectus omnium Tractatum in hoc praeclaro Codice contentorum.

## DCCCCXXXVII.

U. 210 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 397. 4. e variis Scriptis praecipue ad Concilium Basileense pertinentibus confarcinatus legatus est olim ad Librariam Collegij Ducalis wien. a M. Paulo de Mellico T. D. et ad S. Stephani Decano. Insunt autem ei sequentia, quae ad Labbei, Mansique Collectiones exigam. Fol. 1. Oratio Johannis Archiep. Tarentini unius e IV. Oratoribus Eugenii Papae ad PP. Basileenses, quae incipit: *Humanissimam et sanctissimam domini nostri* &c. et habetur apud Labb. edit. Venet. T. XVII. col. 676. Notarii Jacobi Adferricij Subscriptio hic abrupta, in Codice legitur integra.

Fol. 12. Oratio alia, quae incipit: *Maximam mihi dicendi fiduciam praestat* &c. Legitur apud Labb. cit. col. 663. et est Andreae de Petra Archiep. non Colossensis, nec quarti Ambasiatoris Papae, ut est in titulo apud Labb. sed Coloczensis in Hungaria et secundi a Tarentino Oratoris, de quo pauca admodum. Michael a S. Trinit. in Natalib. Archiepiscopatus Coloc. Budae 1746. p. 83. 4. Pertinent utraque ad a. 1432.

Fol. 24. Responsum Synodale ad has Orationes, quod habes apud Labb. col. 448. hoc initio: *Cogitanti huic sacro generali Con-*

*cilio* &c. In inserto Cardinalium testimonio abest a Codice A. Card. Senensis, ab Impressis vero A. Card. Aquilegiensis, T. Card. Tricaricensis et G. Card. S. Marci.

Fol. 44. p. 2. *De modo procedendi in Concilio Articuli subscripti per XII. ad hoc deputatos concordati sunt. Ineunt: Primo sint quatuor deputationes* &c. Ut Labb. col. 577. Pertinent ad an. 1430.

Fol. 48. Fragmenta ex Sessione I. Conc. Basil. primum §§. XIX — XXI. ut extant Labb. cit. col. 234. initio: *Porro quia nonnunquam lingua subdola* &c. dein §§. VIII, XI, XII. ut. col. 225. initio: *Cum vero finis instaret septennij* &c.

Fol. 50. Bulla dissolutionis Concilij Basiliensis. Nempe Eugenii IV. quae incipit: *Quoniam alto et incomprehensibili domino* &c. ut Labb. cit. col. 733.

Fol. 52. p. 2. *Secuntur aliqua decreta Concilij Basiliensis generalis successive facta et habita Anno* &c. 32. XV. februarij. Sunt Sessionis II. ut Labb. col. 236.

Fol. 53. p. 2. *Citationis forma ad Dominum papam et Cardinales, et est tertia sessio Concilij Basiliensis. Ut Labb. col. 238. Sed juvat semel monere, non raro variari elocutionem, et propria Nomina ab Editoribus Gallis et Italis saepe mire corrupta esse.*

Fol. 57. Epistola data Basilea in profesto visitationis virginis gloriose 1432. Manifeste ad Vniversitatem Vien. a Thoma Haselbachio,

chio, qua narrat haec in Concilio gesta, praesertim Disputationem super articulis Hussitarum, in qua, ut ait, Dominus Legatus (Julianus Card. Caesarin.) nos (Oratores Vien.) sibi ad latus sedere precepit, et 3<sup>o</sup> arguendi locus mihi ad honorem vniuersitatis nostrae et 5<sup>o</sup> M. Johanni (Himmel) deputatus est. Laudat praeterea Frisinganum Ep. ab hospitalitate. Is est Nicodemus Alberti Archid. Orator, quocum Haselbachius et Himmelius eo anno circa Pascha Vienna Basileam mouerunt.

Fol. 59. Epistola Domini Iuliani Card. S. Angeli per Germaniam legati. Data est Basileae V. Jun. Anno 1432. ad Eugenium Papam, et in Actis memoratis a me non est reperta. Incipit: *Beatissime &c. Jam nunc vniuersus cognoscet orbis, an viscera paterne caritatis et zelum domus domini vestra sanctitas habeat, an missa sit ad pacem uel ad dissidium, an ad congregandum uel dispergendum &c.* Nunciat ei laetas spes in Conuentu Egrano conceptas reconciliationis Bobemorum, inuitat Basileam: *Si pedes nunc aliquas ecclesias uisitat, forsitan hic eques possit accedere;* ostendit exemplum Praelatorum Franciae in Conuentu Bituricensi concludentium, legitimum esse Basileae Concilium, urget omnibus argumentis et precibus, ut desinat ab eo dissoluen-do, et auocandis Patribus. Perorat: *Si S. v. videret puram mentem et mundam conscientiam et integrum animum, quo talia scribo, oscularem me ex nimia ca-*

*ritate et procul dubio me ut filium diligeretis. Dixi sepe et iam dico et protestor coram Deo et hominibus, quod causa eritis scismatis et infinitorum malorum, si non mutatis consilium.* Scriptum grave, et ad cugnoscendum Controversiae statum comprimis faciens legitur ad calcem *comment. Aen. Silvii de Conc. Basil.* edit. f. l. et a. f. p. 83.

Fol. 65. p. 2. *Hec est prima sessio concilij Basilien. 1431.* Habentur hic Articuli II. III. XIII—XVII. ut *Labb. cit. col. 220.* Accedit: *Prima vocacio Hussitarum ad parendum concilio*, quae incipit: *Compulit nos caritas christi egredi de terra nostra &c.* et habetur inter Epistolas Synodales ibi col. 443. Item *Avisamenta Bituricensia ibid. col. 598.* Item nota illa *Luciferi Epistola Vol. super.* saepe indicata et hic insignita: *Hec epistola scripta est per Hussitas ut creditur tanquam a principe tenebrarum et missa sacre Romane ecclesie rectoribus.* Demum Pia quaedam de Praelatorum officiis, de Missa et indigne Communicantibus Corpori Domini.

Fol. 78. p. 2. *Quarta Sessio Generalis concilij Basilien. 22. Jun. 1432.* Decreta, five Articuli III—VI. ut *Labb. cit. col. 246.* Accedit, ut ibi, *Litera commissionis Regiminis Ciuitatis Aui-nionem*, quae sub finem in Codice *Lecta* dicitur in *Congregatione Generali die mercurij 18. Junij 1432.*

Fol. 82. p. 2. *Secuntur consequenter Decreta Basilien. Con-*

*lij Sessionis Quinte que pronunciata fuerunt Nona die Mensis Augusti. Integre, ut col. 250. Adscripta est temere Cedula creationis, et reservationis ut ajunt, in pectore IV. Cardinalium scilicet Dominici Ram Ep. Ilerdens. Prosperi de Columna, Dominici Capranicae electi Firmani, et Juliani Caesarini Audit. Camerae a Martino V. an. 1426. Die Veneris nono Kalendas Junij Rome in pallacio sancti Petri, in qua dicuntur Ilerdensis et Firmanus alias iuxta morem consuetum creati, sed ex bonis causis tunc (a. 1423. 23. Jul.) et nunc una cum aliis duobus (Prospero et Juliano) nolumus publicari. Obligat tamen Martinus Cardinales XI. qui subscripti sunt, ut in casu obitus sui absque mora praedictos IV. pro publicatis habeant.*

*Fol. 85. p. 2. Sessio sexta Concilij Basilien. 1432. in die leonardi. Lege septima. Sexta enim habita fuit 6. Sept. Decretum hic repetitum jam legitur Sess. IV. Labb. cit. col. 246. Hic vero subjuneta est Reformacio in Concilio Basilien. pro suppositis ejusdem, ut in impressis. col. 582.*

*Fol. 90. Sessio octava XVIII. decembris 1432. die ipsa pretense revocationis (scilicet Eugenii) alias facte 1431. Ita Sessiones sequentes usque ad XIII. sicut decurrunt apud Labb. a col. 257 — 78.*

*Fol. 104. Sessio Decima 3<sup>a</sup> ut Labb. col. 281. Verum adjungitur: Petitio exhibita 17. decembris per petrum fride procuratorem episcopi pataviensis 1433. in*

*singulis deputationibus. Init: Ad egregias virtutes Illustrissimi principis et domini mei generosissimi Alberti ducis Austrie &c. Petierat hic per Oratores suos a Concilio Visitatores ecclesiasticos pro suis Provinciis. Protestatur Fridius nomine Leonardi Episcopi sui contra extraordinarias has vias, cum ordinaria via per Dioecesimum subpetat, qui et possit et velit, cuique, et Clero ejus, qui inter ceteros Alamannie clericos honestius viuit, injuria fieret. Perstringit eos, qui Visitationem hanc ambiunt: quorum multi visitari deberent potius, quam visitare, hoc dilemmate: Sive religiosi sunt, euntes discant, ut iuxta emissa eorum vota suas foueant cellulas &c. Si vero alij sint, qui se forsan professores sacre pagine et amatores existimant, discant prius Juris ac regiminis ecclesiastici practicam et videbunt, quod talia ad eorum episcopum pertinent. De hoc negotio plura magis infra. De Petitione nostra nihil in Labbeo aut Manso.*

*Fol. 107. p. 2. absque Titulo Acta Sessionis XIV. sed alio ordine, quam Labb. col. 286. Initium facit: Bulla adhesionis (Eugenii) sed insufficientis reputata. Data kls Augusti 1433. incipiens: Dudum sacrum generale Basilien. Concilium — ad Ciuitatem Bononien. — commutauimus. Subscripti: Antonius f. Marcelli, Jordanus Ep. Sabinen. Lucidus f. Marie Cosmedin Cardd. Apud cit. non reperta.*

*Fol.*

*Fol. 110. Sessio quinta decima sacri Basiliens. Concilij. et deinceps usque ad XX. prout habentur apud Labb. col. 288. — 318. additis quibusdam Decretis Sess. XXI.*

*Fol. 130. Anthioc. quem Johannem Patriarcham Antiochenum interpretor, Autorem Opusculi de Superioritate Concilij gen. supra Papam, apud Labb. col. 705. additur 6. Nouembr. et ita incipitur: Anno 1432. mota est ista questio in deputation. pro reformatorio sacri generalis Concilij Basiliens. An decretum irritans possit poni in collacionibus beneficiorum et prouisionibus ecclesiarum Cathedralium generaliter et indirecte contra papam. Discutitur igitur hic ab Antiocheno dicto haec quaestio, qua in discussione praelufit quodam modo Opusculo illi memorato primum a. 1434. edito. Ceterum, quae hic habentur, ad Sess. VII. pertinent, quamvis nulli indicata.*

*Fol. 142. Scriptum grave et doctum pro autoritate Ecclesiae uniuersae seu Concilij gen. supra Pontificem, et speciatim contra dissolutionem vel translationem Basileensis. Haec verba praefert: per vestre dominationis humilem Thomam. Atque hinc arguo, Praelatum quendam, fortasse Nicodemum Frisinganum sui, ut alibi dixi, hospitis Thomae nostri Haselbachii mentem hoc super negotio exquisiuisse, quam ille sic aperire orditur: Quia sanctissimus Dominus noster papa Eugenius 4<sup>us</sup> nuper XXIII. Augusti (1432.) per*

*d. suos oratores Reverendissimos dominum Johannem Tarantinum, Andream colocens. Archiepiscopos et Bertrandum magdolonens. Episcopum coram sacro concilio proponi fecit suam intentionem de stabilitate ejusdem, in qua quidem propositione ponebantur puncta, quae decretis sacri Constan. Concilij videbantur obuiare, quorum fundamentum stare videbatur finaliter in isto, videlicet quod solus papa habet plenitudinem potestatis, ex quo non possit iudicari nisi a deo, et quod ipse sit, cui non possit dici: Tu ita facias, quodque presumptuose sit citatus et de facto a Basiliens. concilio, quod nec legibus ecclesiae stringitur, nec statutis ecclesiae artatur eo, quod potestas principis semper excipitur. Hec et similia licet in decretis inueniantur scripta, tamen quoad verum intentum talium magna caligine obscurarunt diuersorum super istis quondam emanate sententiae, quae utinam tam ex veritatis amore quam curiositate quadam vel fortassis pestifera quadam adulatione sua primordia sumpsissent &c. Positis dein Praemissis de Natura et varia consideratione Potestatis ecclesiasticae pronunciat: Quod plenitudo potestatis est in ecclesia Dei vel in sacro Concilio legitime congregato inseparabiliter quoad iurisdictionem scilicet, et residet in ea inseparabiliter actualiter uel habitualiter quo ad omnis iurisdictionis usum exercitium siue executionem. Id quod prolixè dein exequitur, et in decursu Ottonem Frising. ad pel-*

pellat *Illustrem quondam Marchionem Austriae*, quod rursus pro *Hasselbachio* facit.

*Fol. 149.* Oratio Legatorum *Basil.* habita ad Dietam *Norimbergae*, ut videtur, a. 1431. Init: *Reuerentissimi in christo Patres, illustrissimi Principes sacri Romani Imperii Electores dignissimi. Sacrosancta Basiliensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata uniuersalem ecclesiam representans audiens hanc Dietam iudicauit tam debitum quam rationabile tantos et deuotissimos Christiane religioni principes per suos uisitari, que et nobis suis oratoribus nostris Reuerendissimis ac Excellentissimis Dominationibus aliqua commisit proponenda uocatenus &c. Adsumtis igitur uerbis: Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius &c. Matth. c. 6. graphiceque depicto Religionis, Morumque per *Europam* excidio hortantur Principes, ut adfiant Concilio. Inter motiva illis est *bobemorum aduentus et sperata reuersio ad gremium matris ecclesie*, totque *Ambasiatae*, quas Synodus destinat *Antisiodorum, Mediolanum, ad Venetos et Florentinos, ad Regem Poloniae suumque fratrem et Prutenos, ad Bauariam*; unde inferunt: *Quo pacto ergo dicitur seminare scisma, cum ipsa tot scismatum sit suffocativa? Haselbachii manus est, et prima in chartam coniectio multum interpolata et resecta.**

*Fol. 152.* Breuis Institutio, quae incipit: *Ut cunctis etiam in*

*Astronomia non peritis euidenter pateat, quam indebite festum pasche sepius solet celebrari temporibus his modernis, Tria sunt breuissime consideranda. Primo quid de ipso festo sit preceptum. Secundo quid doctores dicant de ipso festo et de tempore celebrationis Tertio quomodo per predicta cognoscatur error in celebratione. E quibus conficitur Pascha perperam celebratum fuisse a. 1432: XII. Kal. Maji.*

*Fol. 154.* Resumuntur *Sessiones*, et quidem XXI<sup>a</sup>. prout habetur *Labb. cit. col. 317.* Sed accedit *Copia bulle auree* (τὸ Ἐυσεβελῶν) *domini Imperatoris* (*Joh. Palaeologi*) *Grecorum, 1435. 26. Novembr. datae*, quam *Labbeus* primo profert ad *Sess. XXIV. col. 337.* Initium est: *Quoniam destinatae fuerunt ab Imperio meo et sanctissimo Domino Iumenico Patriarcha ambasiatae ad sacrosanctam ecclesiam Romanam &c. Nominantur in ea tres Basileensium Legati Joh. de Ragusio O. P. Henr. Mengner Decret. D. et Can. Constant. et Simon Freyre, alias Freron Can. Aurelian.*

*Fol. 158. p. 2.* *Sessiones XXII. et XXIII.* ut apud *Labb. a col. 321.* Dein uero: *Monitorium contra Dominum Papam Eugenium ex Sess. XXVI. ut col. 349. Decretum facte translacionis Concilij Basilien.* Nempe ab *Eugenio Ferrariam*, ut *T. XVIII. Labb. col. 874. Decretum sacri concilij Basilien. cassans translacionem eiusdem in ferrariam per dominum nostrum*

*strum papam factam et suam pre-  
tensam dissolutionem, ut T. XVII.  
col. 363. ad Sess. XXIX. Decre-  
tum suspensionis Eugenij ab ad-  
ministracione, ut col. 376. ad  
Sess. XXXI. et reliqua hujus Sess.  
Decreta. Decretum nouissime pro-  
mulgatum super tribus veritatibus  
katholicis. Est Sessio XXXIII. an-  
no 1439. ut col. 389. Adjuncta  
tamen est quaedam harum Verita-  
tum Deductio, quae in Editis non  
reperitur. Decretum Eugenij  
contra determinacionem Veritatum  
Basilee. ut T. XVIII. col. 1202.  
Demum Sessio XXXVI. ut T. X-  
VII. col. 393.*

*Fol. 193. Cedula five Instru-  
mentum Sanctionis Pragmat. Ma-  
guncie in Stuba capitulari Maio-  
ris ecclesie Magunt. Anno M<sup>o</sup>.  
CCCC<sup>o</sup>. tricesimo nono. Indi-  
ct. secunda. Die vero Jouis 26. men-  
sis Marcij lectum et publicatum a  
Theodorico Ebracht Can. Aschaf-  
fenburg, qui cum Leonbardo Pa-  
tav. et Petro August. Epp. Jo-  
hanne Abb. ad Scotos Vien. Geor-  
gio Praep. Neoburg. Can. Reg.  
Georgio Fischlin Milite et Joh.  
de Eich V. J. D. ad hunc Con-  
uentum Alberti II. Imp. legatio-  
ne fungebatur, et firmatum ab  
Joh. Bracht Notario Imp. quo  
Proceres Germaniae longa serie  
nominati Decreta Concilii Basi-  
leensis acceptant, demtis iis quae  
contra Eugenium lata sunt, et  
variis clausulis, seu reservationi-  
bus ad alia adpositis, non igitur,  
ut quidam Scriptores intelligi vo-  
lunt, simpliciter admiffa. Monu-  
mentum ipsum e Tabulario Elect.*

*Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

*Mogunt. repraesentavit Cph. Guil.  
Koch Sanct. Pragm. Germ. illustr.  
Argent. 1789. p. 93. 4. extare vi-  
detur etiam Romae in Codice Val-  
licellano, ut legi apud Baronii  
Continuatorem Annal. Eccl. T.  
XVIII. ad a. cit.*

*Fol. 198. p. 2. Decretum Con-  
cilij Basilien. contra Decretum  
Moyses. Id est supra indicatum e  
Labb. T. XVIII. col. 1202. Est  
Sessio XXXVIII. ut Labb. T. X-  
VII. col. 401. Accedunt Nomina  
et qualitates Electorum futuri pa-  
pe e Decreto III. hujus Sess. ve-  
rum plenius in Editis col. 407.*

*Fol. 202. p. 2. Aliud Decre-  
tum contra libellum prefatum E-  
ugenij Moyses. Apud Labb. inter  
Epistolas Synodales n. XV. col.  
547.*

*Fol. 211. Responso Synoda-  
lis. Illa nempe, quae inter Epi-  
stolas Synodal. apud Labb. n. VII.  
col. 488. incipit: Cuperet haec  
sancta Synodus vobis &c. Verum  
in Codice praemittuntur ipsa qua-  
tuor Eugenii per Legatos suos  
proposita Puncta, ad quae Patres  
respondent, nempe: Velle se re-  
cipere Decretum de Electionibus  
et Annatis, velle complacere in  
omnibus alijs justis, rationabilibus  
et sibi possibilibus petitionibus, cu-  
pere, ut eligatur locus Concilio  
et sibi opportunus pro tractanda  
cum Graecis unione, consentire,  
quandoquidem urgeat Concilium,  
in publicationem generalium In-  
dulgentiarum. Initium: Pridem a  
vobis dilectis Ecclesie filijs Nico-  
lao tit. Sancte Crucis et Johanne  
tit. sancti petri ad vincula Apo-  
stolice*

H h

stolice

*stolice sedis legatis Cardinalibus infra scripti tenoris nomine S. d. Eugenij porrecta extitit cedula videlicet &c.* Tum sequuntur IV. adlata Puncta et demum Responsum: *Cuperet &c.* ut supra.

*Fol. 219.* absque inscriptione Epistola Synodalis ad universos Fideles, quae apud *Labb. n. X. VI. col. 557.* incipit: *Grande periculum &c.*

*Fol. 227. M. Nicolai de Cusa.* Et ad calcem: *Explicit tractatus Domini Nicolai de Cusa egregij utriusque iuris doctoris de auctoritate presidendi in concilio generali competente pape aut suis legatis absque tamen coactiva iurisdictione.* Initium est: *In questione de presidentia primo considerandum occurrit: Si queritur quis concilio, aut quis in concilio presidere habeat &c.* Fufius haec pertractat *L. II. de concordantia Catholica*, qui extat in *Edit. Opp. Basil. 1565. p. 711. f.* et ad quem etiam in *Tractatu praesenti* provocat, Vir doctissimus, et ut, *Aeneae Silvio* dictus est, *Hercules omnium Eugeniatorum*, in *Conventu Moguntino* verifimiliter elucubratus.

*Fol. 131.* fine titulo *Bulla Indulgentiarum e Seff. XXIV. Labb. col. 340.* Accedit in usum Promulgantium has Indulgentias quadruplex Instructio pro Populis. Primo quidem *Explicatio* totius Unionis cum Graecis faciendae, quae incipit: *In vlgari exponatur quod greci et rutheni suae russi ante quingentos annos boni christiani*

*fuerunt. &c.* Dein *Conditiones* has Indulgentias lucrandi. *Primo* omnis paterfamilias suae religiosus suae secularis offerre debet in truncum uel capsam tantum quantum cum tota familia sua et religiosis per unam integram septimanam communiter consumere consuevit &c. Tum *Indulgentiae concessae.* Demum *potestas absoluedi dispensandi et commutandi* cum Formulis. Locum opportunum haec inuenissent *T. IV. Supplem. Mansii*, ubi *col. 1259.* Ratio expensarum in adventum Graecorum faciendarum initur.

*Fol. 243.* *Judaeorum* negotium consistens 1.) *Bulla Martini V.* data *X. Kal. Jan. Pontificat. an. quarto*, quae incipit: *Licet Iudeorum omnium, quos sacrosancta Romana Ecclesia tolerat &c.* et ad *Judaeorum* preces prohibet, ne in ditionibus Ducum *Austriae* et *Venetiarum* eorum Proles ante discretionis annos ad *Baptismum* pelliceantur aut cogantur. 2.) *Bulla Eugenii IV.* data *Idus febr. 1432. Pontificat. an. secundo*, quae incipit: *Sicut Iudeis non debet esse licentia in sinagogis suis &c.* et eos contra violentum *Baptismum*, et alias a Christianis inferendas injurias in protectionem recipit. Neutra in *Bullario Cocqueliniano* extat. 3.) *Consilio Thomae de Haselbach*, quo contendit: *Matri de Iudaismo conuersae et ad vomitum reuersae sed iterato reductae* *Filiam* minorem annis ex viro *Judaeo* pro nunc defuncto conceptam petenti reddendam esse,

se, ut in fide Christi educetur. Multis in utramque partem argumentis disceptatur.

Inter fol. 247. et 48. inserta est *Summa processus Concilij* (Bafil.) et *fundacio ejusdem contra papam*. Continet 1) succinctam, sed adcuratam Ideam *Aetorum Concilii*. 2) *Continentiam Bullarum Eugenii*. 3) *Quaestionem: An satis factum?* problematice propositam, et 4) *Consilium*, quod adscribam: *Scribantur apparentes et manifeste declarationes, quod papa per primam bullam simpliciter pure et realiter non satisfacit, et petatur ab ipsius ambasciatoribus emendacio per actum publicum, et quod illius emendacionis et actus, quem facturi sunt in publico de reuocacione, dissolutione et reintegracione omnium in pristinum statum, infra certum terminum bullas de rato procurent sub pena in monitorio, et fiat talis practica, quod hec omnia fiant ad instantiam domini imperatoris et dominorum temporalium*. Scriptum viri perspicacis, et multa animo complexi.

Fol. 253. *Bulla missa Vniuersitati Montispeffulani*. Ab Eugenio IV. Incipit: *Etsi non dubitemus, quod scripturi sumus, jam dudum in vestram noticiam peruenisse &c.* Gravissima in *Basileenses* Philippica per omnem Conciliorum historiam expatians, et Cohortatio, ut Universitas se Pontifici jungat. Data est *Florentie a. 1441. XII. Kal. Maji. Pontificat. a. 11.* Ad calcem sua manu testatur *Thomas noster de Haselbach,*

*se Nurenberge ipsa die beati Nicolai 1443.* hanc Copiam contulisse cum originali *Bulla missa ad vniuersitatem Parysien.* et demta quarundam vocum transpositione conformitatem inuenisse. Unde mirum, eam nec apud *Egass. Bullaeum*, nec in *Actis Concill.* aut *Bullario* mihi occurrisse. Comitatus est *Eugenius* prolixam hanc alia breviori hic adjuncta *Bulla* seu *Epistola Dilectis filiis Reftori et vniuersitati Parysien.* inscripta et *Florentia* eod. a. *Nonis Maji* data, qua priorem *litteras Apostolicas in forma libri*, ejusque latorem *Antonium de Boratiis Cubicularium et familiarem* adpellat, et addit: *Similes etiam libros mittimus Carissimo filio nostro Regi francie illustri, et dilectis filiis nobilibus viris eius Regni ducibus ac ceteris vniuersitatibus &c.*

Fol. 265. *Negotium Visitacionis ecclesiasticae per Austriam, Moraviam &c.* 1) *Bulla et substitutio pro Reformatione*. Delegaverat Concilium *Basileense* Oratores ad *Bobemos et Moravos Philibertum Ep. Constant.* (de Coutance) *Johannem de Polemar Archid. Barchinon. Martinum Bernerij Dec. Turon. Tylmannum Praep. S. Florini Confluent.* et *Aegidium Carlerij Dec. Camerac.* simulque dictam iis *Visitacionem* injunxerat. Illi nunc praesentis Instrumento, cui etiam *Delegatio Basileensis a. 1435. 3. Kal. Jun.* data inserta est, substituunt sibi negotiorum obtentu *Abbatem Cbristannum de Mellico, et Johannem Scotorum Vien. Johannem et Mathiam*

*Matthiam Priores Carthuf. in Mau-  
erbach et Brunna, Nicolaum  
Praep. S. Dorotheae, Theologos  
Joban. Nyder O. P. Thom. de  
Haselbach, Job. Hymel, Narcif-  
sum de Perching, Urbanum de  
Mellico, Paul. de Vienna, Ni-  
colaum Praep. de Sternberg O. S.  
Aug. Andr. de Weytra, Nico-  
laum antiquum Praep. in Tyrn-  
stein, Wolfgangum Dec. Eccl.  
S. Floriani, Henricum quondam  
Prior. Monast. S. Crucis, et Wen-  
cesl. de Myrowicz Pleban. in  
Jempnitz, normamque agendi iis  
praescribunt. Brunne Olomuczen.  
Dyoc. sub anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup>  
35. die quinta mens. Augusti. Cum  
testibus et notariis. 2) *Bulla ad  
impediendam Visitationem per Do-  
minum Patauiensem in concilio  
clam impetrata.* Confer supra ad  
fol. 104. dicta. Iniquiore paullo  
mente hunc Titulum *Haselbachius  
Bullae* praefixit; neque enim ab  
omni lustratione Dioeceseos alie-  
nus erat *Leonardus*, sed *vias ex-  
traordinarias* nolebat, et se Pa-  
storem praeteriri. Itaque respe-  
xit se Concilium, et suas Episco-  
po partes in visitatione jure meri-  
to adtribuit hac *Bulla* ad Delega-  
tos, quorum aliqui e supra nomi-  
natis, alii novi sunt, directa, quae  
incipit: *Dilectis ecclesie filiis —  
Quia inter alia sanctitatis opera,  
propter que &c.* et data est: *Basi-  
lee II. Kal. Augusti Anno 1436.*  
Usus his Documentis fuisset *Han-  
szius T. I. Germ. Sacr. in Leo-  
nardo*, siquidem eorum notitiam  
habuisset.*

*Fol. 270. p. 2. Facultas ple-  
narie Remissionis commissa tandem  
Thome de Haselbach Plebano in  
Bert. (Berchtoldsdorf) per Offi-  
cialem Wyenn. Anno MCCCCL.*  
celebratum est in Urbe Jubileum  
promulgante *Nicolao V.* exten-  
sum anno sequenti ad reliquum  
orbem christianum. Istud igitur  
*Leonardus Patav.* hac Encyclica  
Dioecesanis suis cum modo et  
conditionibus ejus se participes  
faciendi adnuntiat *Patauie vicesti-  
ma die mens. februarij Anno &c.*  
*Quinquagesimo primo.* Initium:  
*Redemptor noster de hoc mundo  
transiturus &c. To tandem in Ti-  
tulo notare videtur, Haselbachio  
etiam cum Officiali Patav. Vien-  
nae residente non optime conve-  
nisse.*

*Fol. 274. Documenta II. ad  
Turbas Friderico III. Imp. ob tu-  
telam Ladislai Posthumi in Au-  
stria motas spectantia. 1) Nicolai  
V. Pont. Processus Apostol. contra  
Factionem Eizingerianam cum in-  
terminatione Excommunicationis,  
et privationis honorum et bono-  
rum, nisi intra 70. dies ad officii-  
um redeant. Ineunt: *Et si aduersus  
quoslibet quorum effrena presump-  
tio &c.* et dati sunt: *Rome apud  
Sanctum petrum 1452. pridie No-  
nas Apriles, Pontificat. anno 6.*  
Meminit eorum *Aen. Silvius* in  
*Hist. Friderici*, apud *Kollar. Ana-  
lect. Vindob. T. II. col. 351.* ait-  
que *Viennae, Salisburgi, Passa-  
vii et Olomucii* subpressos, neque  
nisi *Neostadii* et in *Castro Gars*  
publicatos fuisse. Tam parva tum  
qui-*

quidem erat *Friderici* reverentia, ut in *Processibus* Pont. inter factiosos vel 13. Coenobiorum Praefides nominentur. 2) Factiosorum Scriptum contra hos *Processus* divulgatum, cum longa narratione actorum, quae in adpellationem a Pontifice ad futurum Concilium definit: Init vero sic: *Cum appellationis remedium in subsidium oppressorum, uel uerissimiliter se opprimi timencium a sanctis patribus salubriter sit adiuuentum. hinc est quod nos Vlricus dei gratia Cilie comes &c. Vlricus Eyczinger supremus capitaneus pro nobis et omnibus prelati, comitibus &c. Adpellationem hanc, cuius Summam refert col. 352. et apud S. Stephanum Viennae adfixam, et Salisburgi permittente Praefule publicatam fuisse, Aen. Silvius testatur.*

*Fol. 281. Examinatio quorundam Articulorum sacro Concilio Basilien. oblatorum. Responso T. (Hafelbachii) de Wyenna. Sunt numero VIII. et versantur circa obligationem audiendi Missam Parochianam, Decimas, annum tantum Purgatorium eorum, qui aliquem S. Francisci habitum in vita fufceperint, Mendicantium Privilegia circa Confessiones, et Casus reservatos. Praeter Nostrum audias etiam opinantes M. Jordannum, Rudolphum de Porta, Johannem Pulchripatris, Petrum de Venetiis de Monte, Simonem Freiron, et multos alios; sed tota disceptatio ita ταχυγραφικως in chartam coniecta est, ut ab ore disceptantium rapta videatur.*

*Fol. 292. Propositio, ut e calce praeoccupo, coram — Martino papa quinto ex parte uniuersit. Studij parisien. per fratrem Johannem Stoyci de Ragusio sacre theologie magistrum Anno domini M° CCCC° XXII. die septima mensis decembris. Init: Sanctissime et beatissime pater. ac in terris gloriosissimi apostolorum verticis et principis Petri in Sede vnice ac indubitate Christi Vicarie &c. Ait se et venerabilem Magistrum hic in presenciarum astantem philippum a Parisiis ad tria peragenda submissum, quae post exaggeratas Martini laudes ita enumerat: Primo habemus literas credentiales presentare. 2° earundem pro posse intencionem representare. 3° dicendorum pro parte fidem scripto et epistolari serie confirmare. Videt Lector in Puncto 2. rei cardinem verti. Itaque illud quaesita eruditione prolixè exequitur Orator, necessitatemque alterius Concilii generalis post Constantiense maturandi urget, adsumto Themate: *Ini consilium, coge Concilium IJ. c. 16.* Hac Oratione fortasse Johannes Martini sibi favores conciliarit, apud quem Procuratoris generalis Ord. Praed. munus obtinuisse lego T. I. *Quetisi* p. 797. Nihil tamen is de tota nostra Legatione, cetera Viri celebris acta rite profecutus. Neque plus Eg. *Bulaeus*, in quo ne nomen quidem *Joh. Stoici*, forsan *Stoicy* (Illyr. *Stans*) de Ragusio reperi. Socium Legationis ejus *Philippum de Longolio* habeo.*

*Fol. 308.* Varia Excerpta ex *Operibus Hildegardis*, maxime, quae praedictiones futurorum spectant, e *Libro divinorum Operum*, e *Vita S. Ruberti*, e variis Ejus, et ad Eam *Epistolis*, e *Speculo futurorum Temporum*. Ad *Epistolam ad Treuerenses de tempore secundo*, additur *fol. 317. Vere hoc est hodie anno CCCC° XVII°* Incipit autem: *Magistri et prelati relicta iusticia dormiunt.* &c. De *Hildegardis* Scriptis editis et ineditis dixi saepius *Vol. I.*

*Fol. 332.* e calce: *De Psalmo C. sexto Aurelij Augustini.* Bene dictum; non enim est integra *Explicatio*, sed orditur tantum a *N. 4.* in *Edit. Maur. T. IV. col. 1205.*

*Fol. 342.* *Declaratio Ordinationis* suae *Constitutio Domini clementis pape V.* edita in concilio *Vienne.* circa *statum et Regulam fratrum minorum.* Init: *Clemens &c. Exiivi de paradiso &c.* ut in *Corpore Jur. Can. inter Clementinas L. V. Tit. 11.*

*Fol. 347.* *Regula fratrum minorum.* Inserta adprobationi *Honorii III.* et inter ejus *Constitutiones* in *Bullario Rom. n. V.* Accedit *Enumeratio Preceptorum Regulae seu Praeceptis aequipollentium*, hoc initio: *Sicut enim timorate consciencie est timere culpam &c.*

*Fol. 352.* *Συνοδικα* *Actorum* de *Translatione Concilii* inter *Eugenium IV. Fridericum Imp. Basileenses* et *Regem Franciae.* annis *1442.* et *43.* maximam partem conscriptorum manu *Hasel-*

*bachii*, qui ipse in *Legatis Imp.* fuit. 1) *Concordatum per dominos de XII. et conclusum in Congregatione Generali die mercurij 26. septembris Anno 1442.* Concludunt, significandam *Friderico* per *Ablegatos Patrum* paratam mentem transferendi *Concilium*, rogandumque, ut *Praelatorum* praesentiam urgeat, et ipsemet *Basileam* accedat. *Negotium* instruendi *Legatos* committunt *Nicolao Panormit.* et (*Joh. de Segobia*) *S. Calixti Cardinalib.* Item (*Guil. Hugonis*) *Archidiacono Metensi* et *Rudolfo Audit. Camerae.* 2) *Accessio Patrum* ad hoc *Concordatum* eod. anno et die, in *generali Congregatione.* Addunt: *Rogandum Imperatorem*, quatenus dignetur rem banc alijs *Regibus* et *principibus* intimare. 3) *Protestatio Inuidiosissimi domini Romanorum Regis* et *suorum omnium Electorum* facta in *Ciuitate Basilien.* 17. *Septembris.* Nullo se partium studio ducendum in eo, quod et apud *Concilium* et apud *Eugenium* conuocationem alterius *Concilii* sit per *Legatos* urfurus. *Subscripti Martinus Mospeck* et *Joh. (keck) de Tegernsee* *Notarij* in *cancellaria domini (Ep.) Chyemensis.* 4) *Tenor Responsonis Concilij Oratoribus Principum* dandae ad *petitionem* per eos *porrectam.* Ad *Concilii Praesides* directa videtur; incipit enim: *Dignentur Vestre R. P. &c.* et consentit cum *Concordato* supra relato. 5) *Bulla Concilij Basilien. super eius translatione ad alium locum.* Data *secundo Nonas Octobr. 1442.* et sola

sola ex Articulis hic relatis et referendis impressa apud *Labb. T. XVII. col. 569.* 6) *Responsio Domini Eugenij super congregatione generalis Concilij pro unione Ecclesie.* Data *Friderici* et Principum Oratoribus. Miratur peti novum Concilium, dum praefens celebretur *Florentiae.* Translaturum se tamen illud in *lateranense Patriarchium*, illucque ex omninatione Praelatos convocatorum ad deliberandum, an etiam aliud Concilium numerosus indicere expediat. Praeterea *Basileenses* et *Neutralitatem* perstringit. 7) *Replicatio domini Panormitani.* Delatum *Basileam Eugenii* mox indicatum Responsum adripit et carpit *Nicolaus* initio sumto ab eo, quod Pontifex *Fridericum* non nisi electum Rom. Regem dixit: *Videtur dubitare de canonica electione facta de predicto Rege Rom. seu de dignitate eius persone vel de utrisque, quod vocat eum electum in Regem Rom. et non simpliciter Regem &c.* Atqui stilum Curiae nosse debebat celeberrimus hic Ictus. 8) *Copia Regis Friderici litterarum missarum ad D. Eugenium super congregatione generalis Concilij 1443.* Vehementer urget Concilium. *Nedum Electores sed et complurimi Christianitatis Reges et principes id sentiunt atque suadent Nos per litteras suas, ut tamquam protectionem et advocacy Ecclesie gestantes ad id operam demus.* Ideo se indixisse Conventum in festo sancti martini proxime apud *Nurenbergam &c. Wyenne I. Junij Regeni nostri*

*anno 4. 1443.* 9) *In eundem sensum Copia ad Collegium Cardinal. Eugenij Domini Friderici Regis Rom.* eod. anno et die. Init: *Non latet v. p. R<sup>mas</sup>. quanti periculi sit &c.* Epistolam utramque, ut manuscriptam, ita et ingenio *Haselbachii* conceptam autumo. 10) *Copia Cardinalium responsiva ad premissa.* Remittunt ad Responsum *Eugenii*; addunt tamen: *Veritine sub tractatu pacis nova dissidia et quidem pejora prioribus oboriantur, sue Sanctitati, ut tenemur, pro viribus assistemus, et sancte Sedis Apostolice auctoritatem, Jurisdictionem atque libertatem omnistudio atque diligentia defendemus.* *Ex Senis die 27. mensis Augusti 1443.* 11) *Responsio Domini Eugenij ad premissa.* Non ita, sed ad *Litteras Friderici ex Vienna 25. Junij* datas, quae hic non habentur. Conqueritur de electo *Antipapa.* *Et si clare memorie Sigismundi Romanor. Imperatoris tempore scelus illud impij pluries intentassent, piissimo tamen illo principe — perficere nequiverunt.* Revocat in memoriam *legationem illius celebris memorie Cardinalis S. Crucis (Nic. Albergati) Anno domini 1438. in dieta Nurenbergen. expositam illiusque contemptum, sua priora item responsa, in quibus nihil sit a caritate disjunctum; Neutralitatem* obpugnat, *Romam ad Concilium* invitat &c. *Gravis et erudita Epistola data est Senis Anno 1443. octavo kal. Septembr. Pontificat. anno 13.* 12) *Serenissimo principi friderico Dei gratia Romanorum regi semper augusto fratri*

fratri nostro carissimo Karolus eadem gratia francorum rex &c. Petierat Fridericus ab eo, ut Oratores ad supra dictam Dietam Norimbergensem mitteret Laudat illa pium procurandae pacis ecclesiasticae studium, de proposito tamen Concilio ait: *Hec quidem via, etsi sufficiens validaque esse videatur ad hoc scisma extirpandum, ubi tamen alia placidiorque occurreret, hec haut dubium potius amplectenda videretur. Et rursus commendat, si medio tempore et ante conuencionem praefatam aliquis amicabilis vie modus inueniretur. Sub finem rogat, ut quemadmodum Imperialis et Francie Domus ad scismata extirpanda retroactis temporibus coniuncte fuere — et nos eorundem vestigia insequendo pariter procedamus &c. Datum apud Salmurium die 7. mensis Octobr. Sine dubio 1443. En saturam lancem Rerum Bastiensium.*

Fol. 376. Calixti III. Pont. Bullae III. 1) inscripta: *Indulgentiarum dominante Cruciate. Nempe contra Turcas, capta CPoli, data a. 1456. 12. Julij Pontificat. anno 2. Incipit: In his superioribus annis impius nominis christiani persecutor &c. 2) Contra FF. Mendicantium et Sacerdotum Parochianorum Discordias circa Peccatorum Confessionem et auditionem Missae. Incipit: *Illius licet immeriti vices gerentes &c. Data a. 1456. XII. Kal. Septembr. Pontificat. anno 2. 3) Bulla cruciate. Incipit: Ad summi pontificatus apicem disponente deo nu-**

*per assumpti &c. Data contra Turcas a. 1455. Id. Maij Pontificat. a. 1. Prima et postrema extant T. XVIII. Annal. Eccl. Raynaldi pp. 461. et 435. Media in Bremondi Bullario Ord. Praed. T. III. p. 352. Atque in his operosus Codex terminatur.*

## DCCCCXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 116 Folior. 421. 4. currente calamo, et magnam quidem partem manu M. Thomae Ebendorfer de Haselbach, qui aevo illo inter lumina Academiae Vien. claruit, conscriptus, et rubro distinctus multa notatu digna complectitur, quae ordine proponam. I. *Considerationes XVI. inscriptae: Per Thomam de haselpach in dieta moguntina 1441. Prima haec Friderici III. Imp. Dieta destinata erat Francofurtum, oratorque ab eo missus Haselbachius, sed praehabita est Moguntia. Quid ibi praestiterit Noster, non liquere ait Autor ejus Vitae P. I. Scriptt. Universit. Vien. p. 152. Neque plus J. Joach. Müllerus in Theatro vernac. Comitior. Imp. T. I. paginas implere contentus Reformatione illa, cujus saltem Declarationes phrasibus Seculi XVI. Clero catholico iniquis turgent, quamque jam ab Imperatore propositam, jam non propositam, jam ab eo, jam vero a Civitatibus Imperii confectam ait. Sed et aliorum, quos quidem consului, docti, cordatique Scripti nostri nemo meminit, quo Haselbachius damna*